



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

9. Venditio de servo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

ratione ut mihi exinde non liceat aliubi nec vendere nec donare nec in nullo modo distrahere, sed sub vestro prætexto, quatenus decretum vestrum manserit, hoc tenere & usurpare faciam. Vnde censivi me annis singulis ad festivitatem ipsius sancti partibus vestris reddere argentum tantum. Et post meum quoque discessum supraprescriptam rem cum omni integritate & soliditate sua, quicquid ibidem aspicere vel pertinere videtur, cum omni supraposito, vel quicquid ibidem transitus meus dereliquerit, absque ullius expectata traditione vel iudicis consignatione, aut heredum meorum repetitione, vos agentisque ipsius Ecclesiæ in eorum faciant revocare potestatem vel dominationem. Et si fuerit aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc precatoriam aliquam calumniam vel repetitionem aut contemptum generare præsumperit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos centum componat, & hæc precatoria, quamvis per diverforum annorum curricula à me fuisset possessa, nullum præjudicium vobis non præparetur, sed ita firma permaneat quasi per quinquennium fuisset renovata, cum stipulatione subnixâ, omnique tempore inviolata permaneat.

Item venditio.

VIII. Magnifico fratri illo, ego ille. Constat me tibi vendidisse & ita vendidi infra terminum sancti illius, in loco nuncupante illo, campum vel vineam juris mei, habentem aripennos tantos. Est quidem de uno latere & fronte terra illius, de alio latere & fronte terra illius. Vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit, valentem solidos tantos, ita ut ab hodierna die quicquid de supradicta re facere volueris, liberam habeas potestatem, salvo jure ipsius sancti. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare præsumperit, contra cui litem intulerit solidos quindecim componat, & hæc venditio firma permaneat.

Venditio de servo.

IX. Magnifico fratri illo, ego ille. Constat me tibi vendidisse & ita vendidi servum juris mei nomine illum, non furem, non fugitivum, sed sanum corpore, bonisque moribus constructum. Vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene com-

placuit, valentem solidos tantos. Ita ut ab hodierna die quicquid de supradicto servo facere volueris, liberam habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare præsumperit, contra cui litem intulerit solidos sexaginta componat, & hæc venditio firma permaneat.

Venditio de semetipso, qualiter homo liber venundetur.

X. Domino semper meo illo, ego ille. Placuit mihi ut statim ingenuitatis meæ in vestrum deberem obnoxiare servitium, quod ita & feci. Vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit, solidos tantos, ita ut ab hodierna die quicquid de me servo tuo, sicut & de reliqua mancipia tua, facere volueris, à die præsentis liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et quod fieri non credo, si fuerit ulla quislibet persona qui contra hanc venditionem, quam ego mea spontanea voluntate fieri & adfirmare rogavi, qui contra eam aliquid agere vel calumniam generare conaverit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit auri libram unam, argenti pondi quinque coactus exsolvat, & hæc venditio firma permaneat.

Epistola collectionis.

XI. Nos quoque in Dei nomine matricularij sancti illius, dum matutinis horis ad ostia ipsius Ecclesiæ observanda convenissemus, ibique infantulum sanguinolentum, periculo mortis imminente, panis involutum invenimus, & ipsum per triduum seu amplius apud plures homines inquisivimus quis suum esse diceret, & non invenimus, cui nomen ipsum imposuimus. Sed postea pietate interveniente, & Domini misericordia opitulante, ipsum infantulum homini aliquo nomine illo ad nutriendum dedimus; ut si Deo præfule convaluerit, ipsum in suis servitibus ac solatiis juxta legis ordinem retineat. Pro quo pretium accepimus, in quod nobis bene complacuit, valentem sol. tantos. Et ut præfens epistola firmior sit, manibus propriis eam subter firmavimus, & bonis hominibus roborandam decrevimus, secundum sententiam illam quæ data est ex corpore Theodosiani libri quinti, dicens: *Si quis infantem à sanguine emerit, si nutritum dominus vel pater eum recipere voluerit, aut ejusdem meriti mancipium, aut pretium nu-*

Interpret.
L. unic. Cod.
Th. de his
qui sangui-
nol.